

Iansenistae tantopere delectantur, cum dicunt: fideles arcere a Scripturae lectione idem esse ac illis os Christi obstruere, filiis lucis lucem negare aliaque similia. Ecclesia enim, quae *os Christi* vere dici potest, fidelibus loquitur, eosque clarius et tutius docet quam si ipsi Scripturas legerent, quas recte intelligere non possunt, et literae mortuae substituit vivam vocem Pastorum, quibus dictum est « qui vos audit me audit: » similiter Ecclesia filiis lucem non negat si quando eos arcet a lectione Scripturae, sed eorum imbecillitati parcens lucem Scripturarum, quae oculorum aciem eis perstringere vel obtundere posset eorum infirmitati accommodat. Sed non vacat diutius in his nugis immorari. Ceterum haec plenius adhuc diluentur in sequenti articulo, ubi de praxi Ecclesiae, in re de qua agimus, plura dicentur.

ARTICULUS III.

ECCLESIAE PRAXIS AC LEGISLATIO CIRCA SCRIPTURAE SACRAE LECTIONEM IN LINGUIS VULGARIBUS

Protestantes non modo *theoretice* errant circa lectionis Scripturae necessitatem ac utilitatem, ut modo vidimus, sed etiam *historice*, dum asserunt Ecclesiam absolute et universim vernaculas Scripturae versiones earumque usum prohibere, eique adscribunt prava et odiosa motiva huic suppositae disciplinae sancienda, quasi nempe id fecerit ad suam potestatem ultra debitos limites amplificandam, et ad fideles in errore ac superstitione detinendos. Quam falsa haec sint, et a praeiudicatis animis profecta certissimis argumentis demonstrari potest. Quae quidem breviter exponemus in sequenti propositione.

— * —

THESIS II (XXIII).

Nunquam Ecclesia absolute et universim prohibuit fidelibus Sacrae Scripturae lectionem in lingua vernacula, sed pro variis temporum, locorum ac personarum adiunctis modo probavit, modo improbat aut coercuit eandem lectionem, idque unice ut ipsorum fidelium bono, ac utilitati prospiceret: in praesenti vero Ecclesiae disciplina, de iure communi, omnes omnino fideles, servatis tantum quibusdam conditionibus, Scripturam in sua lingua legere possunt.

Haec Thesis in tres partes dividi potest, quarum prima est de praxi et legislatione Ecclesiae anteactis temporibus; secunda de motivis ac rationibus huius praxeos ac legislationis; tertia de actuali Ecclesiae disciplina. De singulis breviter.

Probatur *pars prima*.

Ecclesiam nunquam absolute et universim prohibuisse vulgarem Scripturae lectionem, sed tantum pro locorum et temporum varietate diversas leges tulisse sequentia probant.

Primis Ecclesiam saeculis nullam prohibitionem aut restrictionem in re de qua agimus extitisse apparet ex historia, et factis versionum biblicarum. Omnes enim versiones, quas nunc antiquas et liturgicas vocamus, olim vernaculae dici poterant, et erant, quousque scilicet linguae quibus exaratae sunt in ore populi permanserunt. Ita ex. gr. Syriaca versio usque ad seriore aetatem ab omnibus Syris intelligebatur utpote eadem lingua loquentibus, ita Armenica ab Armenis, Coptica a Coptis, Abyssinica ab Aethiopicis et ita porro, et ut in specie de Vulgata latina loquamur, haec in occidentali Europa mansit vere vernacula versio usque ad X saeculum circiter, nam omnes usque ad illam aetatem latine sciebant et loquebantur. Prima vestigia prohibitionis versionum vernacularum occurrunt in fine saec. XII. Vidimus enim primo Innocentium III a Metensi Episcopo interrogatum vulgarem gallicam versionem fidelibus illius loci interdixisse, et paulo post similem prohibitionem factam fuisse in Concilio Tolosano anno 1229 Canon. XIV. Verum haec decreta illa dumtaxat loca respiciebant, non autem univer-

sam Ecclesiam, et provocata fuerunt a fidelium quorundam abusu, et ab Albigenisum machinationibus, qui simplices fideles ab avita fide, et a sinu Ecclesiae avellere conabantur, ut supra narravimus. Idem dicendum est de decreto Synodi Oxoniensis anno 1408 occasione similis abusus promulgato. Post ortam vero Reformationem, cum Protestantium variae sectae alias atque alias Scripturae versiones subinde inducerent vel parum accuratas, vel omnino haereseos veneno infectas, iisque errores suos confirmare, atque in vulgus spargere nunquam desisterent, Ecclesia tanto fidelium periculo commota severius agere coepit circa huiusmodi versiones, earumque usum: hinc ortae sunt regulae Indicis a Concilio Tridentino praeparatae, et a Pio IV postea editae ac deinceps a pluribus summis Pontificibus confirmatae. Regula III ita se habet: « *Librorum autem V. T. versiones viris tantum doctis, et piis iudicio Episcopi concedi poterunt, modo huiusmodi versionibus tanquam elucidationibus vulgatae editionis, ad intelligendam Sacram Scripturam, non autem tanquam sacro textu utantur. Versiones vero N. T. ab auctoribus primae classis huius Indicis (idest ab haereticis) factae nemini concedantur, quia utilitatis parum, periculi vero plurimum lectoribus ex earum lectione manare solet. Si quae vero adnotationes cum huiusmodi quae permittuntur versionibus, vel cum vulgata editione circumferuntur, expunctis locis suspectis a facultate theologica alicuius universitatis Catholicae, aut Inquisitione generali, permitti eisdem poterunt quibus et versiones. Quibus conditionibus totum volumen Bibliorum quod Biblia Vatabli dicitur, aut partes eius concedi viris piis et doctis poterunt. Ex Bibliis vero Isidori Clarii prologus et prolegomena abscindantur; eius vero textum nemo textum vulgatae editionis existimet.* » Per hanc regulam prohibentur ipso facto versiones omnes Sacrae Scripturae ab haereticis, vel de haeresi suspectis exaratae, reliquae vero a viris catholicis vulgatae non omnibus indiscriminatim permittuntur (1). De his tamen speciatim tractat sequens regula quae ita se habet:

(1) Deinceps Benedictus XIV expresse prohibuit: « *Biblia sacra haereticorum opera impressa, vel eorumdem adnotationibus, argumentis, summariis, scholiis, et indicibus aucta. Item Biblia sacra, vel eorum partes ab iisdem metricis conscripta.* » Quinimo hanc prohibitionem in

Regula IV. « *Cum experimento manifestum sit si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri, hac in parte iudicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi vel confessarii Bibliorum a catholicis versorum lectionem vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex huiusmodi lectione non damnum, sed fidei et pietatis argumentum capere posse, quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere, seu habere praesumpserit, nisi prius bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit. Regularis vero nonnisi facultate a praelatis suis habita, ea legere aut emere non possint.* » Per hanc regulam vetatur usus versionum vulgarium etiam Catholicorum, non tamen absolute, uti patet; siquidem iudicio ac prudentiae Episcoporum ac Praelatorum relinquatur licentiam eas legendi fidelibus concedere. Verum quidem est praefatam regulam ob auctum ex fraudibus haereticorum periculum a Sixto V arctiorem factam fuisse, sublata episcopis facultate licentiam illam concedendi, eaque summo Pontifici reservata, quae reservatio postea confirmata fuit a Clemente VIII per *Monitum* adiectum regulae IV Indicis in nova eius editione. Verum, mutatis circumstantiis, huiusmodi reservatio in desuetudinem abiit, ita ut ex tacito Sanctae Sedis consensu Episcopi coeperint iterum praefatam licentiam fidelibus elargiri. Nec est omitendum regulas Indicis non respicere directe nisi versiones in linguis vernaculis, ut ex verbis patet, et nullam hic quaestionem fieri de vulgata latina, quae semper omnibus indiscriminatim permessa fuit, dummodo opera catholicorum impressa sit. Denique per Benedictum XIV rigor ille tantopere relaxatus est, ut nunc etiam vulgares versiones omnibus permittantur sint sub quibusdam conditionibus, ut inferius in tertia parte Theosod dicitur.

Ex his iam satis apparet Ecclesiae disciplinam pro variis ad-

praefatis Indicis regulis comprehensam fuisse declaravit Pius VII in Brevi ad Episcopum Gnesnens. 29 Iunii 1816 iniquens: « *Biblia opera haereticorum impressa vetitis libris accenseri iuxta Indicis regulas.* » Unde sequitur non modo haereticas versiones, sed etiam catholicas, imo ipsos sacros textus hebraicum et graecum, si opera haereticorum imprimantur, per se prohibitos esse.

unctis variam fuisse, modo strictiorem, modo leniorem, nunquam vero ita rigidam ut lectionem vulgarem Scripturae universim et absolute fidelibus inhiuerit. Sed ad hoc melius declarandum, et ad plenius refellendam adversariorum assertionem, quod Ecclesia lectioni Scripturarum vernaculae adversa sit, sufficit in mentem revocare plures, tum ante, tum post Concilium Tridentinum vulgares Scripturae versiones editas fuisse, non modo non contradicentibus, sed et suadentibus et probantibus Ecclesiae pastoribus ac Romana Sede, ut ex. gr. fuit versio Emserii et Eckii anno 1522 et 1540 in Germania, celebris versio Duacensis anno 1609 pro Anglis, versio P. Wiechii S. I. in Polonia, suadente Gregorio XIII et probante ipso Clemente VIII, versiones Malerbi, et Jac. de Voragine in Italia aliaque plures, de quibus in fine huius Appendicis. Antequam Protestantes principia sua spargere coepissent iam 800 fere editiones Bibliorum per Europam vulgatae fuerant, ex quibus maior quidem pars representabant Vulgatam latinam, non paucae tamen versiones in vulgaribus Europae linguis; quinimo ipsa vulgata tunc quodammodo vernacula dici poterat, cum ea aetate fere quotquot legere poterant latinam linguam intelligerent.

Probatur pars secunda.

Ecclesiam in varia illa disciplina sancienda nihil aliud prae oculis habuisse quam bonum atque utilitatem fidelium ipsa rei historia ostendit, quam modo exposuimus, dummodo aequo animo, et absque praeiudicatis opinionibus perpendatur. Sane ex dictis apparet Ecclesiam tunc tantum prohibuisse, seu potius limitasse vulgarem Scripturae lectionem, cum vel abusus aliquis irrepisset circa eandem lectionem ex parte ipsorum fidelium, vel periculum aliquod ipsis immineret; cum vero nihil horum timendum erat non solum non cohibuisse, sed potius commendasse omnibus et inculcasse Scripturarum lectionem. Scilicet eodem modo se gessit Ecclesia in hoc negotio quo semper in omnibus rebus ad disciplinam spectantibus, ut, salvis fundamentalibus principiis, suam legislationem adiunctis ac exigentis fidelium accommodet. Perperam igitur Protestantes Ecclesiam accusant de contradictione, aut inconstantia, cum potius eius sapientiam, ac maternam sollicitudinem suspicere deberent.

Quod autem adiuncta aliquando talia fuerint ut severiores illas legum dispositiones postularent res ipsa loquitur. Duo scilicet erant mala timenda ex promiscua et inconsulta vulgarium versionum lectione, perversio scilicet fidelium ex male intellecto Scripturae sensu, et ipsius verbi Dei corruptio. Sane cum primo Innocentius III et Concilium Tolosanum Scripturae lectionem cohibuerunt malis artibus et fanatico zelo Albigenium et Valdensem plurimi fideles in errores trahebantur, contra legitimos pastores sese extollebant, et de fide ex Scripturis iudicium pronunciare affectabant absque debita subordinatione magisterio ac sensui Ecclesiae, cui Christus munus docendi tradidit. Accedit ipsas versiones a praefatis haereticis in vulgus disseminatas parum accuratas fuisse, et erroribus eorum accommodatas, expositio etiam plurium textuum Scripturae falsa et haeretica iam in antecessum fidelibus tradita fuerat a sectariorum praedicatoribus, ita ut postea suas illas versiones fidelibus tradentes facilius illis persuaderent suas opiniones in Scripturis contineri. Eadem autem pericula renovata sunt et aucta post ortam Reformationem. Versiones enim vulgares Germanicae, Anglicae, Gallicae et aliarum linguarum ab innumeris Protestantium sectis editae fuerunt, quae omnes plus minus erroribus infectae erant, et ad praeiudicatas opiniones errorumque commenta accommodatae, iisque haeretici utebantur ad fideles pervertendos. Versio Lutheri, fatentibus ipsis Protestantibus, erroribus foedata est, quorum non minus 1400 numeravit Hier. Emserus (1). In Anglia priores versiones sub Henrico VIII et Elisabetha vulgatae, nempe versio Tyndale, versio Coverdale et versio *Episcoporum* dicta (*the Bishops' Bible*), nec non versiones Cramer, Matthew aliorumque tot erroribus et sensus corruptionibus refertae ipsis Protestantibus visae sunt ut regis iussu prohibita fuerint, eisque alia substituta, quae a Iacobo I nomen obtinuit et ab anno 1610 usque nunc veluti authentica versio apud Anglicanos habita est: interim vero gravissimi Anglicani scriptores, quibus consentit Horne, non dissimulant multos in hac versione errores contineri; qua de causa nunc novae eius recensionis concinnandae insudant, quae omnium votis satisfaciatur. Idem dicendum est de prote-

(1) V. Audin: *Vie de Luther*, deuxième édition, to. I, pag. 430.

stanticis aliarum gentium versionibus, et de Italica Io. Diodati in gratiam Calvinistarum vulgata eorumque erroribus favente. Ad munus ergo Ecclesiae omnino pertinebat tanto malo remedium afferre et a tanto periculo simplicem fidelium turbam defendere. Neque dicas has rationes non valere pro versionibus vulgaribus a viris catholicis confectis. Licet enim periculum minus esset in his versionibus legendis, et ideo Ecclesia pluribus earum lectionem permiserit, ut modo vidimus, ob circumstantias tamen illorum temporum, et ob dominantem, ut ita dicam, spiritum et quasi furorem, quem Protestantes ubique excitabant, Scripturam proprio ingenio interpretandi, magnum ex his quoque versionibus periculum pluribus imperitis et instabilibus catholicis imminere: quando vero spiritus ille sensum sine sensu deferuit, ideoque periculum illud magna ex parte cessavit, coepit Ecclesia de sua severitate paulatim remittere, quibusdam tantum necessariis cautelis contenta. Demum ad disciplinae Ecclesiasticae in hac re prudentiam et opportunitatem ostendendam nihil magis valet quam miseranda et ridenda series abusuum, superstitionum, et fanaticorum excessuum quibus occasionem dedit promiscua illa Scripturarum lectio, et interpretatio omnibus permixta: horum exempla nonnulla dedimus in alio loco, alia multa referunt Milner, itemque *Collectio Gallica* documentorum concernentium Constitutionem *Unigenitus*, (Vide Fontana op. cit. ad Prop. LXXXIII Cap. I, Tom. III, col. 847 et seqq.).

Probatur *pars tertia*.

Nunc ad hodiernam Ecclesiae disciplinam quod attinet, absolute affirmamus, hodie neminem ex fidelibus impediri quominus S. Scripturam in sua lingua legere possit absque ulla speciali vel Episcopi vel Inquisitoris licentia, servatis dumtaxat quibusdam conditionibus nempe ut versio a Catholico auctore exarata fuerit, et a Sede Apostolica vel ab Ordinario approbata, eidemque adnotationes orthodoxae adiectae sint.

Nova haec disciplina inducta fuit per decretum Sacrae Congr. Indicis a Benedicto XIV approbatum die 13 Iunii 1757, quod ita se habet: « *Quod si huiusmodi Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae cum adnotationibus desumptis ex SS. Ecclesiae Patribus, vel ex doctis catholicisque viris conceduntur.* » Hoc decretum confirmatum fuit a Pio VII

in Brevi sup. cit., a Pio VIII in Encyclica 24 Maii 1829, et a Gregorio XVI in Encyclica 8 Maii 1844, cuius haec sunt verba ubi de regula IV Indicis loquitur: « *Eidem regulae nova subinde propter perseverantes haereticorum fraudes cautione constrictae (nempe per Sixtum V et Clementem VIII) ea demum auctoritate Benedicti XIV adiecta declaratio est, ut permessa porro habeatur lectio vulgarium versionum, quae ab Apostolica Sede approbatae, aut cum adnotationibus desumptis ex doctis catholicisque viris editae sunt.* » Ex verbis declarationis modo recitatis apparet duas illas conditiones disiunctive esse accipiendas, ait enim: si fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae cum adnotationibus etc. Quapropter si versio non sit approbata a S. Sede, sed tamen orthodoxa sit et orthodoxas adnotationes adnexas habeat potest legi: et reipsa multae versiones a fidelibus leguntur quae nunquam a S. Sede approbatae fuerint ex. gr. celeberrima Anglorum versio Duacensis. Requiritur tamen approbatio Ordinarii, aut Synodi provincialis ob generales Regulas Indicis, quae in hac parte revocatae non sunt. Eadem de causa, et ex posterioribus etiam declarationibus dicendum est adnotationes semper requiri ad hoc ut fideles versione aliqua vernacula uti possint, ita ut versiones etiam catholicae nec possint ab Episcopis approbari si adnotationibus destitutae sint, et quae alias ab Episcopis, vel etiam a Sancta Sede fuerant approbatae nec imprimi, nec legi possint ab omnibus sine adnotationibus originariae editioni adiectis. Apparet haec ex Monito Congr. Indicis die 7 Ianuarii 1836 ubi legitur: « *Revocanda iterum esse in memoriam quae alias decreta sunt: vernaculas nimirum bibliorum versiones non esse permittendas nisi quae fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, aut ex doctis catholicisque viris: iis praeterea omnino insistendum quae per regulam IV Indicis, et deinceps ex mandato Clementis VIII in eam causam praestita fuerunt.* » Extat praeterea *Responsum* Sacrae Congr. Inquisitionis (apud Scavini Theolog. Moral. Tom. 2, p. 461) circa impressionem versionis Italicae Martini quod ita se habet: « *Congregationi propositum fuit dubium utrum permittenda sit impressio versionis V. et N. T. exaratae per R. A. Martini sine textu latino, et sine notis? Sacra Congregatio Inquisitionis respondit: negative.* »

Hoc igitur est ius commune nunc vigens in Ecclesia. Quamvis enim laudata decreta ac declarationes, quibus mitigatur severitas regulae IV Indicis sint tantum facultativa, ideoque integrum sit Episcopis pro suis dioecesibus, ob speciales causas, urgere adhuc prohibitionem Indicis, et sibi reservare facultatem concedendi aut negandi fidelibus licentiam versiones vernaculas etiam approbatas notisque instructas legendi, quemadmodum revera factum est in nonnullis dioecesibus Belgii, quamvis, inquam, hoc verum sit, tamen in plerisque, seu fere omnibus dioecesibus catholicae Ecclesiae haec licentia non exigitur, quare absolute dici potest hanc esse hodie generalem Ecclesiae disciplinam.

Adversus primam et secundam Theseos partem multa quidem obiciunt ministri Protestantes, qui omnibus modis ostendere conantur Ecclesiae Romanae legislationem in hac re fuisse tyrannicam, abusivam, incohaerentem. Verum ex his alia in Thesi praecedente soluta fuerunt, alia in ipsa argumentorum expositione praecipua sunt. Sufficit enim totam historiae narrationem attente, et absque praedudata opinione considerare, ut omnes calumniae, aequivocationes et insinuationes evanescant. Ab his igitur persequendis abstinemus (1).

ARTICULUS IV.

DE SOCIETATIBUS BIBLICIS EARUMQUE DAMNATIONE

Ex dictis de Ecclesiae doctrina et praxi circa vulgarem Scripturae lectionem sequitur iure ac merito RR. Pontifices *Societates* quas vocant *biblicas* proscripsisse; istae enim et *theoretice* in falsis Protestantium principiis innituntur, et *practice* iis omnibus periculis, abusibus ac malis viam aperiunt et ansam praebent, quibus avertendis Ecclesia Catholica per suam legislationem sollicite operam dedit. Ob rei tamen gravitatem nonnulla de his in specie dicenda sunt. Et primum pauca historice.

(1) Ceterum haec obiectiones distincte et copiose refutatas invenies apud Malon, op. cit. Tom. I, Cap. 2 et 7, et apud Fontana, op. cit. Tom. III ad propositiones 69 et seqq. Quesnelli.

Societates biblicae, ut alibi innumus, in sinu Ecclesiae Anglicanae ortum habuerunt initio huius saeculi. Plures ministri protestantes non modo Episcopales, sed et aliarum sectarum simul convenerunt in urbe Londinensi die 7 Martii anno 1804 ad scopum consulendi faciliori et rapidiori propagationi Sacrae Scripturae, quam unicam fidei regulam Protestantes agnoscunt. Colatis itaque consiliis solemniter fundarunt *Societatem Biblicam Anglicanam* et *exteram*, sic enim eam appellarunt, cuius manus esset curare ut quamplurima Sacrae Scripturae exemplaria in omnium gentium linguis accurate imprimerentur et in populis quam maxime disseminarentur nulla facta regionum, aut religionis distinctione. Huic operi statim manum admoventur ingenti pecuniae vi undique collecta, et suppetias ferentibus aliis biblicis societatibus in variis regionibus constitutis, et a Societate illa matre dependentibus, quas societates *adiutrices* vocant. Anno 1826 per decretum praelatae Societatis suppressi fuerunt et expuncti ex V. T. versionibus septem libri deuterocanonici, quos Anglicani in sua recepta versione semper retinuerant et adhuc retinent, quamvis sub nomine *apocryphorum* seu *hagiographorum*. Hac de causa, et ob gliscentes quotidie abusus multi ex doctioribus Protestantibus alte conclamantur adversus Societates Biblicas, ut Ersch, Gruber, Breitschneider aliique. Nihilominus tamen opes societatum biblicarum tam prospere se habuerunt et auctae sunt, ut sexaginta circiter annorum spatio usque ad annum 1867 summam 150,000,000 francorum in Bibliis edendis impenderint, atque 52,000,000 exemplarium Sacrae Scripturae in 170 diversis linguis ac dialectis distribuerint. Versiones ab istis societatibus editae partim novae sunt, illae praesertim quae in linguis barbaris populorum Africae, et Oceaniae conscriptae sunt, et istae plerumque a ministris Protestantibus in locis illis degenitibus missionum, uti aiunt, causa adonantur, aliae vero sunt notae versiones iam extantes sive protestanticae, sive etiam aliquando catholicae, quas Societas biblica suas fecit, et reiectis adnotationibus, expunctisque libris deuterocanoniciis V. T., inter Catholicos spargit, ut eos facilius alliciat: ita ex. gr. in Hispania versionem P. Scio, in Polonia versionem P. Wiecki, in Gallia versionem De Sacy distribuere satagunt. In versionibus autem haereticis, quae longe plures sunt, multa occurrunt adver-

sus verum et orthodoxum Scripturae sensum, ac praeterea versiones in barbaris linguis a missionariis vulgatae ob imperfectam linguarum notitiam tot aliis erroribus scatent ut saepe indigenis risum aut indignationem excitent, ut in sequenti articulo accuratius narrabitur. Ex his, aliisque causis Sancta Sedes praedictas societates biblicas earumque libros iure meritoque damnavit (1). Sed praestabit hac de re specialem Thesim constituere.

THESIS III (XXIV).

Iure ac merito RR. Pontifices Societates biblicas a Protestantibus institutas iteratis decretis improbarunt.

Ad hanc Thesim probandam hoc argumento utimur cum Perrone, aliisque doctis Ecclesiae defensoribus.

Illae societates merito ab Ecclesia damnatae sunt, quae falsis principiis innixae, spiritu et scopo anticatholico animatae, arrogantiam et insubordinationem in Christianis promovent, fidei puritatem corrumpunt, et ipsum Dei Verbum neque integre neque fideliter lectoribus praebent. Atqui huiusmodi sunt praefatae biblicae societates. Quod ita per partes demonstrari potest.

1. Principia quibus innituntur societates biblicae sunt illa ipsa quae in praecedenti Thesi et alibi refutavimus, scilicet unicam fidei regulam esse Sacram Scripturam, et legitimum eius interpretem esse unumquemque fidelium, ideoque omnibus et singulis fidelibus et ius inesse, et officium incumbere Scripturas legendi. Haec omnia falsa omnino esse, contraria oeconomiae revelationis a Christo stabilitae, laesiva iuris Ecclesiae, et demum practice et in suis effectibus perniciosa superius satis demonstratum est.

2. Scopum ac spiritum harum societatum anticatholicum esse nec ipsi Protestantes dissimulant, imo publice fassi sunt ac fatentur. Hinc eorum zelus biblia sua spargendi non solum inter infideles, sed etiam et maxime in regionibus catholicis, sperantes se

(1) Societates biblicas damnarunt sequentes Pontifices: Pius VII in Brevi 29 Iunii 1816 ad Episcopum Gnesensem, et in altero Brevi 3 Sept. 1816 ad Episc. Mochiloviensem; Leo XII Litt. Encycl. 3 Maii 1824; Pius VIII Litt. Encycl. 24 Maii 1829; Gregorius XVI Litt. Encycl. 8 Maii 1844; Pius IX Litt. Encycl. 9 Novembris 1846.

fideles populos hac arte a debita Ecclesiae obedientia, et a sinceritate catholicae professionis avertere posse. Hinc apud Italos ex. gr. biblia Diodati Calvinistica haeresi infecta spargere satagunt, et etiam ubi catholicas versiones sine notis distribuunt conantur supplere defectum haereticae versionis infinitos libellos, ephemerides, tractatunculas simplici plebi, operariis, agricolis gratis dispensando, in quibus singula catholicae fidei dogmata, ut ex. gr. Sacrificium Missae, confessionem sacramentalem, infallibilitatem Pontificiam, invocationem Sanctorum, doctrinam de indulgentiis, aliaque impugnare et evertere conantur, adductis in medium Scripturae testimoniis in vulgari lingua, eisque sophisticis et haeretice interpretatis. Apud infideles autem illarum societatum socii ac propagatores saepissime inveniuntur esse praecipui catholicorum missionariorum adversarii, in quos aliquando etiam apertam persecutionem movent ut eorum opus impediunt, et quibuscumque mediis, aliquando etiam fraudibus, eorum neophitos a catholica missione ad suas sectas pertrahant. Pro his omnibus testimonia et facta copiosissima occurrunt in annalibus *Propagationis Fidei*, nec non in pleniori historia missionum Protestantium a Marshall conscripta (1).

3. Arrogantiam et insubordinationem apud fideles aequae ac infideles per istas societates promoveri ex rei natura, et ex experientia comprobatur. Ex rei quidem natura, ut ex dictis apparet: tendentia enim quam excitare volunt in lectoribus ea est ut seipsos iudices constituent in negotio religionis, Ecclesiae praedicationem et publicam professionem ad examen revocent, et veluti ad tribunal sui privati iudicii compellent ut quidquid visum non fuerit cum sensu Scripturae ab ipsis invento convenire illico recitent. Experientia autem id confirmat quemadmodum superius vidimus appellantes ad abusum, superstitiones, excessus quibus indiscreta lectio Scripturae originem dedit. Quibus nunc addere possumus ipsos infideles opera biblicarum societatum ita frequenter disponi, ut qui alias dociles ac pronos se exhibent ad veram fidem audendam, deinceps difficillime ad amplectendam Christianam religionem adduci possint, ut ex. gr. in regionibus Australiae factum est.

(1) Vide T. W. M. Marshall: *Christian Missions: their agents, their method and their results.* London 1862.

4. Fidei puritatem, opera societatum biblicarum corrumpi res est in facto posita. Quod enim plures Catholici hac ratione a fide et ecclesia defecerint frequenter audimus et ingemiscimus. Infideles vero, qui Protestantibus se adiungunt, aut nullam definitam fidei formam habent, aut uni vel alteri praedicantium sectae nomen dant, eiusque errores suscipiunt, aut etiam videntes discordiam quae inter varios ministros existit circa religionis dogmata de omnibus dubitare incipiunt, aut ad suas superstitiones redeunt.

3. Demum quod ipsum Dei verbum et Sacram Scripturam violent non minus apertum est. Imprimis enim usque ab anno 1826 societates biblicae suppresserunt in suis versionibus septem libros V. T., quos Ecclesia Catholica tamquam partem Scripturae inspiratae habet, et ipsi Anglicani in veneratione semper habuerunt, licet canonicos non reputent. Arbitraria haec et tyrannica dispositio societatis biblicae Anglicae querelas et reclamaciones excitavit ex parte etiam Protestantium, multo magis igitur eam damnare debuerunt RR. Pontifices supremi ac praecipui revelationis custodes. Sed insuper pleraeque versiones a societatibus distributae Scripturam adulteratam et vitiatam continent sive hoc ex ignorantia, sive ex dolo originem habuerit. Ex innumeris exemplis quae adduci possunt quaedam citasse sufficiat (1). Versiones a Calvinistis confectae ab anno 1543 cum Calvinus suam versionem vulgavit usque ad annum 1588, quo ministri Genevenses compleverunt suas biblicorum correctiones, quamplures errores exhibent in quibus pro-

(1) Plura invenies apud Malou op. cit. Tom. II cap. IX praesertim circa versiones gallicas societatum biblicarum, plura etiam legi possunt apud Cherubinum a S. Joseph op. cit. Tom. IV, ubi germanicas imprimis Protestantium versiones fuse et accurate expendit, innumerisque in medium prolatis tum exemplis tum doctorum virorum testimonio ostendit eas omnes quamplures errores, et corruptiones continere. Huiusmodi errores laudatus Malou distinguit in duas classes. Alii nempe sunt errores in locis obscuris et controversis orti ex praedicata opinione et modo cogitandi Protestantium proprio, alii vero sunt verae falsificationes inductae ob scopum polemicum doctrinam aliquam demonstrandi, aut catholicam veritatem facilius impugnandi. Si primae classis errores, considerata interpretis dispositione et invincibili ignorantia excusari aliquando possunt et bonae fidei quodammodo tribui, impossibile est alterius classis errores excusare, considerata etiam naturali honestate, et aequitate. Ecclesia vero nec hos nec illos tolerare potest cum eius fidei aequae repugnent (Pag. 204 seq.).

gressus calvinianae haereseos elucet. Subsequentes enim editiones aut versiones aliquid semper praecedentibus vel addunt vel detrahunt, donec ex Scriptura expunxerint per violentas interpretationes aut etiam contextus mutationes omnia argumenta quae catholici theologi contra Calvinistas afferre solent, et alios textus suis erroribus ita accommodaverint ut lectoribus eos persuadere possent. Ex huiusmodi gravissimis Scripturae depravationibus satis multae a biblicis societatibus in suis recentioribus versionibus, aut editionibus receptae, vel conservatae sunt, ex quibus sequentes notari possunt.

In versione Osterwal impressa anno 1843 opera et expensis Societatis biblicae Parisiensis in libro 2 Esdrae Cap. VIII, 7, 8, ubi sermo est de Esdra Scripturas coram populo legente, additur Scripturam *per semetipsam explicatam fuisse*, quod in textu minime legitur, et data opera intrusum est in versione ad insinuandum Scripturam esse suis interpretem absque magisterio ac iudicio Ecclesiae. En integrum locum. Versio Hieronymi: « Levitae silentium faciebant in populo ad audiendam legem: populus autem stabat in gradu suo. Et legerunt in libro Legis Dei distincte, et aperte ad intelligendum: et intellexerunt cum legeretur. » Versio Osterwalli habet: « Les Levites faisaient aussi entendre la loi au peuple, et le peuple se tenait à sa place, et ils lisaient au livre de la loi de Dieu, et ils l'exposaient, et en donnaient l'intelligence, la faisant entendre par l'écriture même. » Similis interpolatio occurrit Matth. XXV, 34 in verbis a Christo Iudice preferendis in die extremi iudicii: « Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. » Praefata versio addit « paratum in haereditatem, en heritage » quod in textu non invenitur, et consulto adicitur ad extenuandam vim illius testimonii pro necessitate bonorum operum ad salutem. Pariter ad eliminandam ex Scripturis doctrinam de traditionibus divinis, quas tamquam credendi et agendi regulas Ecclesia recipit, in praefatis versionibus Protestantes supprimunt vocabulum *traditio* et substituunt *magisterium, documentum, enseignement*; ita imprimis 2 Thess. II, 14. Et notandum est eandem vocem graecam *παράδοσις* in locis ubi sermo est de corruptis Pharisaeorum traditionibus, ut Matth. XV, 2, 3, Gal. I, 14, Colos. II, 8,

reddi per vocem *tradition*, ubi vero de divinis traditionibus est sermo, per vocem *enseignement*. Ita etiam vox *πρεσβυτεροι* quae *sacerdotes* denotat iuxta usum biblicum et ecclesiasticum, in Calvinistarum versionibus generatim vertitur *les anciens*, seu *seniores*, ut omnis sacerdotalis muneris et sacrae ordinationis idea removeatur: ita ex. gr. in versione Martin insignis locus Act. XIV, 22. « Et cum constituissent (Paulus et Barnabas) illis per singulas Ecclesias *presbyteros*.... commendaverunt eos Domino » ita Gallice vertitur: « Et après que par avis des assemblées ils eurent établi des anciens dans chaque église » ubi praeter vocem *anciens* substitutam voci *prêtres*, additur mentio de consilio *coetus* fidelium, de quo nullum occurrit vestigium in sacro textu. Ita etiam ad insinuandum lectoribus quod cultus sacrarum imaginum a Catholicis admissus illicitus et idololatricus sit in variis locis V. T. substituerunt vocem *image* voci *idole*, ut ex. gr. Deut. V, 8: « Non facies tibi *sculptile* » reddunt: « Tu ne te feras pas d'*image* taillée » et in Ps. XCVI, 7: « Confundantur omnes qui adorant *sculptilia* » in antiqua versione legebatur « soient confondus tous ceux qui servent aux idoles » at recentiores versiones societatis biblicae legunt « soient confondus tous ceux qui servent aux images » (1). Similia exempla notari possunt in calvinistica italica versione Io. Diodati, quae cura societatum biblicarum nunc in Italia longe lateque diffunditur. Haec versio melior quidem est, et fidelior praedictis Gallicis Calvinistarum versionibus, verum nec ipsa vitii caret. Imprimis enim auctor nimis studet claritati cum dispendio fidelitatis: ubique sensus ambiguus, vel obscurus est eum declarat et definit adiectis vocibus, quae ad textum non pertinent, et non indicat alios sensus, quos textus habere posset, quod neque in notis facit. Vide exempla in Gen. II, 12, IV, 8, 26; Ps. VIII, 5, Hebr. II, 9, VI, 1 etc. Praeterea sensus aliquando determinatur ita ut faveat praeconceptis

(1) De Calvinistarum versionibus data opera scripserunt sequentes auctores. P. Oton: *Genève plagiaire, ou verification des depravations de la parole de Dieu, qui se trouvent dans les bibles de Genève*. Paris 1618. Honr. Niquet: *Erreurs deprehenis in gallica N. T. translatione Genevensi*. Flexiae 1620 et Alenconii 1638; Veron in opere: *Le N. T. de la traduction des docteurs de Louvain etc.* IV^{me} Partie. *Des falsifications des bibles de Genève*. Paris 1648; Chardon et Lugnez: *Recueil des falsifications de la bible de Genève*. Paris 1708.

Calvinistarum opinionibus: ita vox *presbyteri* redditur per vocem *gli anziani* Act. XIV, 22; Tit. I, 5; Iac. V, 14 et alibi passim, imo totus locus Act. XIV, 22 vertitur ut in Gallica versione Martin, ita: « E dopo che ebbero loro per ciascuna Chiesa ordinati per voti comuni degli anziani » etc.

De erroribus versionum Anglicarum extat integrum opus Th. Ward sub titulo: *Errata to the protestant Bible, or the truth of their English translations examined*. London 1737, ubi adductis exemplis ostendit plures in eis contineri errores, corruptiones, contortas interpretationes Protestantium praeiudiciis conformes. In germanica Lutheri versione, ut alias innumis, ipsi Protestantium doctores errores deprehendunt; ex Catholicis vero Emseris non minus 1400 errores et mendacia eidem versioni adscribit. Ita ex. gr. (ut de N. T. tantum loquamur) Act. XV, 41 Lutherus expunxit verba: « praecipiens custodire praecepta Apostolorum » 1 Cor. IX, 5 ἀδελφὴν γυναῖκα, mulierem sororem, reddit per uxorem (Apostolorum). Hebr. XIII, 17 pro praepositis vestris posuit praedicatoribus vestris: 2 Pet. I, 10 expunxit omnino verba: per bona opera: item Philem. v. 6: « in agnitione omnis operis boni, » expunxit vocem operis: et Rom. III, 28: « iustificari hominem per fidem » vertit « iustificari hominem per solam fidem. » Hinc merito Bucerus in Dial. cont. Melancthonem « Lutheri lapsus (inquit de eius versione) manifesti sunt, nec pauci. » Posteriores vero Germanicae versiones ut Trilleri, Reitzii, Schmidii, Zinzendorffii, etc. inter ipsos Protestantes acerrimos criticos nactae sunt, et omni prorsus auctoritate carent. Demum versiones vernaculae ad usum infidelium Asiae, Africae et Oceaniae a Protestantibus confectae, falsae et saepe etiam absurdae sunt. Interim haec innuisse sufficiat ad Theses nostrae probationem.

Ex his omnibus concludere licet RR. Pontifices et potuisse et debuisse vocem attollere adversus praedictas societates biblicas, easque publice improbare ac damnare.

6^o Praestabit haec omnia confirmare ipsis gravissimis verbis RR. Pontificum, quibus societates biblicas earumque scopum ac pravos effectus detegunt ac reprehendunt. Ita Pius VII in Brevi ad Episcopum Mochilem. die 3 Sept. 1816 incipit: « Magno et acerbo dolore confecti sumus ubi accepimus exitiosum consilium haud ita

pridem susceptum quo sacratissimi Bibliorum libri novis, ac praeter saluberrimas Ecclesiae regulas editis interpretationibus, iisque calide in pravos sensus contortis vernacula qualibet lingua pervulgantur. Namque ab aliqua iam ex perlatis ad Nos huiusmodi versionibus animadvertimus eam in purioris doctrinae sanctitatem parari perniciem ut facile fideles ex iis fontibus lethale ebibant venenum, ex quibus haurire debuissent aquas sapientiae salutaris. » Leo XII in Lit. Encycl. die 3 Maii 1824 ita loquitur: « Non vos latet, Ven. FF., societatem quamdam, dictam vulgo Biblicam per totum orbem audacter vagari, quae spretis SS. Patrum traditionibus, et contra notissimum Tridentini concilii decretum, in id collatis viribus ac modis omnibus intendit, ut in vulgares linguas nationum omnium Sacra vertantur, vel potius pervertantur Biblia. Ex quo valde pertimescendum est, ne sicut in aliquibus iam notis, ita et in caeteris interpretatione perversa de Evangelio Christi, hominis fiat Evangelium, aut quod peius est, diaboli. (Hieronymus in cap. I ad Gal.)... En VV. FF. quo haec spectat societas, quae insuper ut impii voti fiat compos nil intentatum relinquit. Non enim tantummodo versiones suas typis edere, verum etiam per omnes urbes cursitando in vulgus per se spargere sibi placet. Quinimo ut alliciat simplicium animos qua venditare curat, qua dono dare insidiosa liberalitate gestit. » Demum Gregorius XVI ceteris copiosius de hac re loquitur in Encyclica 8 Maii 1814 vulgata ad damnandam Societatem Biblicam in America fundatam ad scopum spargendi Biblia vulgaris in Italia, ubi inter alia haec scribit: « Inter praecipuas machinationes quibus nostra hac aetate aetholici diversorum nominum insidari cultoribus catholicae veritatis, eorumque animos a sanctitate Fidei avertere conitantur, haud ultimum tenent locum Societates Biblicae, quas in Anglia primum institutas, ac longe hinc lateque diffusas, facto veluti agmine, in id conspirare conspicimus, ut divinarum Scripturarum libros vulgaribus quibusque linguis interpretatos permagno edant exemplarium numero, eosque inter Christianos iuxta, atque infideles nullo delectu disseminent, et horum quemlibet ad illos nullo duce legendos alliciant. Ita igitur, quod suo iam tempore lamentabatur Hieronymus (Epist. ad Paulinum §. 7) et garrulae anxi, et deliro seni, et sophistae verboso, et universis, si modo legere norint, cu-

iusque conditionis hominibus, communem faciunt *artem Scripturarum sine magistro intelligendarum*: immo, quod longe absurdissimum paeneque inauditum est, ne ipsas quidem infidelium plebes ab huiusmodi intelligentiae communione excludant.

Sed vos quidem minime latet, Venerabiles Fratres, quorsum haec societatum earundem molimina pertineant. Probe enim notis consignatum in Sacris ipsis Litteris monitum Petri Apostolorum principis, qui post laudatas Pauli epistolas, esse ait in illis *quaedam difficulta intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem*: statimque adiicit: *Vos igitur, fratres, praescientes custodite, ne insipientium errore traducti, excidatis a propria firmitate* (2 Pet. III, 16, 17). Hinc et perspectum vobis est vel a prima Christiani nominis aetate hanc fuisse propriam haereticorum artem, ut, repudiato verbo Dei tradito, et Ecclesiae Catholicae auctoritate reiecta, Scripturas aut manu interpolarent, aut *sensus expositione* interverterent (Terull. lib. De Praescript. adv. haeret. cap. 37, 38). Nec denique ignoratis, quanta vel diligentia vel sapientia opus sit ad transferenda fideliter in aliam linguam eloquia Domini; ut nihil proinde facilius contingat, quam ut in eorundem versionibus per societates Biblicas multiplicatis gravissimi ex tot interpretum vel imprudentia, vel fraude inserantur errores, quos ipsa porro illarum multitudo et varietas diu occultat in perniciem multorum. Ipsarum tamen Societatum parum aut nihil omnino interest, si homines Biblia illa vulgaribus sermonibus interpretata lecturi in alios potius quam alios errores dilabantur: dummodo assuescant paulatim ad liberum de Scripturarum sensu iudicium sibi metipsis vindicandum, atque ad condemnandas traditiones divinas ex Patrum doctrina in Ecclesia Catholica custoditas, ipsumque Ecclesiae magisterium repudiandum. »

Postremo addi possent testimonia ipsorum Protestantium. Ut enim supra innuimus, multi ex doctioribus Protestantibus praesertim Episcopalibus Biblicas Societates aperte improbarunt. Ita praeceteris Breitschneider, in *Manuali Theologiae dogm.* Vol. I, 399 edit. 1838; plures Anglicani Episcopi, et ministri, qui protestati sunt adversus admissionem *dissententium* in Biblicam societatem, alique longe plures qui reclamant adversus suppressionem librorum deuterio-

canonicorum V. T. decretam a Biblica Societate Londinensi, item Prettisman et Carlisle citati a Gregoire, Hook citatus a Milner, et alii plures. Causae huius oppositionis ex parte Anglicanorum, ut modo innumus, duae potissimum fuerunt, scilicet 1^o periculum dissolutionis Ecclesiae Anglicanae opera Societatum Biblicarum, ad quas omnium sectarum homines pertinent, ideoque laxiora omnino principia profiteri coguntur, et versionibus a se confectis in vulgo propagare non cessant; 2^o arbitrarium decretum Societatis Biblicae an. 1826, quo libri deuterocanonici V. T. qui hucusque in editionibus Anglicanae versionis retenti fuerant expuncti fuerunt. Huius decreti historia non parum nocet famae Societatis Biblicae. Sane ab ipsa epocha foundationis anno 1804 praedicta Societas solemniter promiserat se nullas alias versiones impressuram praeter quatuor illas quae a legibus status et Ecclesiae Angliae probatae erant, et generatim sponderat se conformaturam in Bibliis imprimendis moribus ac legibus Ecclesiarum, ad quas singulae versiones pertinebant. His promissis initio quidem steterunt, ita ut nonnulli etiam catholici modum agendi ipsarum Societatum laudaverint (1). Verum paulo post (anno 1812) Steinkopf unus ex primariis fundatoribus Societatis biblicae conatus est, suadente consilio supremo, in nonnullis versionibus suppressere libros deuterocanonicos V. T., at reclamantibus aliis societatibus praesertim ex Germania, Svevia, et Russia coacti sunt a suo proposito recedere. Anno 1817 ipsa centralis Societas in Anglica versione suppressit deuterocanonicos, sed impetrare non potuit a Societate Biblica Parisiensi ut idem faceret, imo coacta fuit pecuniam elargiri pro Societatibus adiutricibus, quae pergebant imprimere in suis editionibus libros deuterocanonicos. Interim multi ex dissidentibus sectis conclamare

(1) Eminet inter istos Leander Van Ess Professor et Parochus catholicus Marburgensis magnus patrocinator vernaculae et promiscuae lectionis S. Scripturae, cuius opera, et scriptis biblicae societates non parum profecerunt. Praeter superius citatam collectionem testimoniorum SS. Patrum pro lectione S. S. opusculum edidit cui titulus: *Die Bibel, ein Buch nicht, wie viele wollen, für Priester nur, sondern auch für Fürst und Volk etc.* 8 München 1818, et iterum in linguam Hollandicam conversum Amsterdam 1820. Imprudentem huius viri agendi rationem, et argumenta ab eo alata solide impugnavit Binterim, Kistemacher aliique docti Germaniae scriptores.

coeperunt adversus hunc usum, prae coeteris vero Puritani ex Scotia, qui etiam Societatem Londinensem accusarunt, quod pecuniam pro Scripturis edendis destinata impenderet *apocryphis* vulgandis (sic enim deuterocanonicos, V. T. appellant Protestantes). Horum querelis obsequuta Societas Londinensis decretum vulgavit die 19 Augusti 1822, quo permittebatur quidem aliis societatibus imprimere libros deuterocanonicos, dummodo tamen id propriis expensis facerent. Verum hoc Puritanis satis non fuit, qui paulo post suis clamoribus alteri decreto occasionem dederunt (20 Dec. 1824) quo Societas negabat quodcumque auxilium editoribus ac societatibus qui vellent deuterocanonicos cum protocanonice commixtos imprimere, salva tamen licentia in praecedenti decreto data eos imprimendi propriis expensis, et ad calcem aliorum librorum apponendi. Verum Societas Edimburgensis etiam hoc decretum improbatum, urgens omnimodam suppressionem apocryphorum, vulgato etiam anonymo scripto in quo continebatur defensio canonis Protestantici, et violenta impugnatio canonis *Papistici*, idest librorum deuterocanonice (1). His omnibus permota Societas Londinensis in comitiis generalibus anno 1826 celebre decretum edidit, in quo non solum negatur omne subsidium ad deuterocanonice imprimendos, sed absolute facultas admittitur omnibus societatibus imprimendi etiam propriis expensis eosdem libros, vel eos exemplaribus Scripturae iam per Societatem impressis postea adiciendi, ipsaque exemplaria cum hac conditione tantum inferioribus societatibus vendenda vel donanda esse statuitur, ut nihil eis adiciatur. Adversus hoc decretum plures societates biblicae reclamarunt et fortiter resisterunt, ex. gr. societates Argentoratensis, Berolinensis, Parisiensis, Stokolmensis, Petropolitana, quae licet libros deuterocanonice V. T. Scripturis inspiratis aequiparare nollent, eos tamen tanquam utiles et veneratione dignos habebant, ideoque indigne ferebant eos e Christianorum manibus eripi. His accesserunt plurimi protestantici Scriptores, qui editis libellis contra decretum

(1) Titulus huius scripti est: *A plea for the protestant Canon of Scripture*. In hoc scripto tota historia quam hic breviter attingimus fusius exponitur. Haec autem videri potest etiam apud Gregoire: *Histoire des Sectes*. Livre VII, Tom. 4, et apud Malou: op. cit. Tom. II, pag. 179-191.

Londinense decertarunt (1). Huiusmodi historia, et ipsorum Protestantium reluctantia in recipiendis mutilatis et truncatis Bibliis Societatis Londinensis egregiam apologiam constituit pro RR. Pontificibus, qui eandem Societatem eiusque editiones improbarunt. Protestantes tamen de praedicta oppositione Anglicanorum, aliarumque sectarum adversus biblicas societates altum silentium tenent dum contra Romanam Sedem ob eandem causam declamare non cessant. Verum quidem est Societates biblicas auro Britannico privatas, et minis Societatis matris perterritas praefatum decretum tandem acceptasse, et post tot clamores, et iusti zeli significationes serviliter collum subiecisse iugo societatis Londinensis, ita ut nunc Biblia ab iis distributa libris deutero-canonicis V. T. careant: atamen id in earum reprehensionem redundat, quaestionis naturam non immutat.

Argumenta adversariorum in favorem Societatum biblicarum, et adversus earum damnationem in falsis suppositis fundantur, et plus minusve eadem sunt ac illa quae in praecedentibus Thesibus solvimus: quare ab iis referendis abstinemus. Haec nihilominus videri possunt apud Perrone Tract. de Locis Theol. Part. II, cap. IV, Propos. II.

ARTICULUS V.

DE PRAECIPUIS VULGARIBUS VERSIONIBUS SACRAE SCRIPTURAE

I. *Praecipuae versiones Italicae.* Antiquissima inter Italicas versiones Scripturae creditur esse versio *Iac. de Voragine Ord. Praed.* Archiepiscopi Genuensis, quam laudant Possevinus, et Rich. Simonius, et Sixtus Senensis ait *summa fide et diligentia factam.* Succedit versio Italica *Nicholai Malerbi* vel *Malermi* (2) monachi Camaldulensis saec. XV. Prodiit anno 1471 sine loco (forte Venetiis). Orthodoxa est, et elegans, et quidem elegantior in V. quam in N. T. quare

(1) Huiusmodi testimonia, tum scilicet Societatum biblicarum, tum privatorum scriptorum laudantur a Moulinié: *Notice sur les livres apocryphes de l'Ancien Testament en réponse à la question: faut-il les supprimer?* Genève 1828, et a Bensus in *Dissertatione polemica* de hoc argumento.

(2) Verum auctoris nomen est *Malerbi*, vel latine *De Malherbis*, et ipse se vocat in subscriptione operis: sed apud criticos qui eum citant aliter atque aliter scriptum invenitur.

P. Vercellone suspicatur V. T. alterius esse et antiquioris auctoris. Nunc vero Italica familiaris est recentior versio quam Illius *Antonius Martini* Archiepiscopus Florentinus concinnavit iuxta normam decreti Indicis 1737, sequens scilicet Vulgatam latinam, quam etiam una cum versione Italica sistit, et additis notis ex SS. Patribus et ex doctis catholicisque viris sapienter selectis. Addidit quoque praefationes doctrina ac pietate plenas, et in fine delectum variantum lectionum. Novum Testamentum prodiit Taurini 1769. Vetus autem ibidem usque ad annum 1776 cum approbatione Ordinarii. Cum autem auctor exemplar suae versionis Pio VI summo Pontifici obtulisset ab eo laudatus est, et in eiusdem versionis commendationem accepit *Breve* die 17 Martii 1778. Mittimus alias Italicas versiones minus notas, licet orthodoxas (1).

Ad eterodoxas vero versiones Italicas nonnulli referunt imprimis antiquiorem versionem *Bruccioli Antonii* Venet. 1532 ex hebraeo et graeco textu confectam, quae licet a viro catholico edita sit in Indicem relata fuit (2). Praecipue vero huc pertinet versio *Io. Diodati* ministri Calviniani Genevensis, quae prodiit Genevae anno 1604. Haec versio elegantia quidem dictionis se commendat, licet nimis aliquando paraphrastica sit, haeretico tamen spiritu confecta est, et ad sectae illius errores facilius lectoribus insinuandos, ut supra vidimus. Ideo a Sancta Sede damnata fuit, a Protestantibus vero in deliciis habetur, qui plures eius editiones curarunt et inter Italos spargere satagunt: eandem in Gallicam linguam conversam Calvinistae Helvetii olim susceperunt. Plerumque tamen errores Calvinistici magis in notis adiectis quam in ipsa versione continentur.

II. *Versiones hispanicae.* Antiquiores Hispanicae versiones non paucae extant, sed ex his plures extra Hispaniam, et plerumque

(1) Tales sunt versio Italica *P. Marmachini* O. P. quae prodiit Venetiis an. 1538 in folio; Versio *Fr. Marini de Venetia.* Ven. 1477; Versio N. T. *Fr. Zachariae Flor.* O. P. Venetiis 1542 et aliae nonnullae. Haec et alias versiones diversarum linguarum enumerat inter alios P. Le Long in *Bibliotheca sacra* Cap. IV, Part II, quam consule, si libet.

(2) Non videtur tamen damnata ob eterodoxas interpretationes, sed potius quia a Vulgata nimis aliquando recedit, et in Epistolis ad Franciscum I Regem Veteri et Novo Testamento praefixis nimis acriter defendit lectionem S. Scripturae in lingua vulgari.